S. S. Philosophiam, vel Sophiam potius, ut ante Pythagoram dicto 1581.
vocata est, non ista arctis finibus circumscribo, ut eam in unius 141
Aristotelis monumenta concludam. Non n. ignoro, tam longè
latè, ejus terminos patere, quàm patet rerum universitas. ni-
hil in sorteus incurrit, nihil humanæ menti obversatur, quod
extra illius fines positum sit. Quare non malè dixerunt eam
humanarum divinarumq; rerum scientia contineri. Quam
quia nemo plenè perfectèq; assequitur, nemo etiam vèrè,
σοφὸς dici potest. Philosophi tamen nomine non indigni sunt,
qui operam dant, ut quoad ejus fieri queat, in tanta humani
ingenii imbecillitate, quàm proximè ad illarum, quas dixi,
maximarum rerum cognitionem perveniant. In his ego
magno suo merito, collocandum Arist. censeo, qui multa
et præclara viderit, quæ nemo ante ipsum, quæ in densis
abdita tenebris naturæ mysteria eruerit complura; qui veri-
tatis ita fuerit amans, ut ejus investigationem et studium
Præceptoribus, Amicis, rebus denique omnibus anteposuerit. Quare
eam est nominis celebritatem gloriamq; consecutus, eam
authoritatem, magno multorum seculorum consensu, apud ele-
ganti doctrina perpolitos homines obtinuit, ut solus propemo-
dum Philosophi nomine honestetur, et nemo facilè ab ejus
sententia recedat, nisi firmissimis rationibus coactus. Ne ipse
quidem Aristoteles ita insanit, ut credi sibi simpliciter aliquid
affirmanti velit; rationibus pugnat, eas non examinare vult
suis ponderibus. In quo nobis exemplo prodivit et divina
illa verum à falso discernendi arte instruxit, docuitq; nullius
autoritatem veritati anteferendam esse. Itaq; cum quæsti-
onem tibi proposui, non ex alius doctrina philosophi respon-
sionem expectavi, sed ex hujus, qui unus mihi Philosophorum
Princeps ob eas, quas breviter attigi, causas meritò dici
videtur. Sanè igit jam satis intelligas quem Philosophum,
quam Philosophiam, præstantiss: Academiæ præjudicio
quasi quodam vocem, facessat inanis illa de vocabulis

disceptatio. Quæ de Christiana Philosophia vel Scholâ potius adfers, vera sunt quidem, et à meo sensu minimè abhorrentia, sed tamen non ejusmodi, ut propterea omnia in sacris literis explicata esse Theologis existimem, ut jam nihil Christ. aliorumq; Peripatet. disputationibus opus esse fatear. Ne te quidem prorsus ita Christianum esse puto, ut libris sacris rerum omnium scientiam esse comprehensam, atq; ideò reliquos omnes tanquam inutiles aut certè supervacaneos abjiciendos censeas. Patere igitur nos, qui ipsi quoq; Christiani sumus, Dei beneficio, et esse volumus, etiam extra Biblia, ut vocant, sacra veritatem quærere, earum præsertim rerum, quæ in illis vel non sunt omninò, vel non planè explicatæ sunt. Atq; ut ad nostram hypothesin descendam, quid quæso sceleris est, eius etiam rei, quam sacra litera explicant, investigationem apud profanos scriptores instituere, vel ut videamus, quousq; humani lumen ingenii processerit; vel animi causâ, vel etiam propterea, ut cum animadvertimus præclaris illa ingenia longè à veritate aberrâsse, quæ nobis, Dei beneficio, patefacta est, eò magis nostram felicitatem agnoscamus, et ad gratitudinem Deo in nos benignitatem celebrandam magis magisq; inflammemur. Sed heus tu, mi Doctissime Taurelle, nobis quidem Christiana pietate imbutis, facilè id, quod asseris, persuadebis verum esse, sed si tibi res sit cum aliquo, cui vel ignota sunt religionis nostræ capita, vel ea non tanti faciat, quanti fieri debent; sed ad ethnicam, et sanè, de qua agimus, Peripatet. Philosophiam te revocet, num propterea silentium tenebis neq; ulterius cum eo commutare verba voles? Ne tu hoc pacto omnes quæstiones nullo negotio dissolves. De originis quidem labe, præter Philosophos, qui de ea ne somniarunt quidem, unquam Christiani quoq; extiterunt, qui dubitârunt, rationibus non levissimis adducti. Sum his si tibi aliunde præ-

tenda largita

tenda argumenta essent, quasi ex Theologia, quomodo dimicares? faceresne prorsus? Diceres, credo haec Aristotelis, haec Platonis haec aliorum Philosophorum est de hac quaestione sententia: verum falsa est, quia Theologicae veritati non congruit. Tum demum rationum momenta ex S. Scriptura in medium proferres, tale etiam ad id, quod petebam, responsum requirebam. Ubi meam solutionem confutas, quam ego obiter adscripseram, iterum in appetitus ὁρμωνρικὰ ludis, alys ego rectae rationi appetitum ibidem opponebam, ut statim intelligi posset, quid hoc vocabulo significare vellem, et ad hominum tantùm non etiam bestiarum naturam referebam; respiciebam autem ad illum Sic: locum, qui cum veterum Philosophorum decretis mirificè consentit. Inquit autem, duplex est vis animorum alys naturae, una pars in appetitu posita est, quae est ὁρμητικὴ Graecè, quae hominem hùc et illuc rapit, altera in ratione, quae docet et explanat, quid faciendum, fugiendumque sit. Ita fit ut ratio praesit, appetitus verò obtemperet, passim alibi quoque scribit. Efficiendum esse, ut appetitus rationi obediant. Nota est vetus illa Pythagorae primum, deinde Platonis descriptio, qui animum in duas partes dividunt, alteram rationis participem faciunt, alteram expertem. Ad nolo in hos campos evagari, ne me à veritatis tramite longius discessisse dicas. Ostendi tantùm unde peti dubitationis nodus solutus posse videatur.

Quod scribis appetitum omnem per se bonum esse, non video, quomodo ei loco congruat, quem ex Sic: adduxi, etsi tu autoritate Ciceronis rejecta ex veritate id affirmare contendes, ne id quidem video. Nam ex rerum quae appetunt, diversitate appetitus distinguo. Ea autem partim bona sunt, partim mala. Nec illud quidem intelligo, quomodo consentiat cum hac sententia, quod paulò post subjicis: vim appetendi mali nobiscum nasci, ut non prius homines simus, quàm mali homines simus; si vis appetendi mali nobiscum nascitur, quomodo omnis appetitus per se bonus est? deinde, si natura mali sumus, quâ ratione bona appetimus? quod si malitia nobis ita ingenerata est, ut

simul noluerim existat, non dispicio, qua ratione Dei mali hujus, qui
idem etiam est creationis nostræ auctor, dici causa non debe-
at. Si n. natura mali sumus, præstare hanc culpam non possumus,
cùm nihil ad generationis nostræ causam, atq; adeò ad totius
nostrum conferre potuerimus. Deinde addis, quod anima
vitium ex corpore contrahat, hoc mihi non sit verisimile. Postea
ais animam à Deo malam esse creatam primùm, impiumve
est cogitatu. Si non ex corpore vitium contrahit, necesse est
ut id à Creatore habeat, & sic vitiosa creata sit; aut id alunde
accipiat. Ostende si potes, alunde quam à Parentibus ortam
esse labem. Quod si quidem, sequitur procreatione animam
procreari per semen atq; adeò mortalem esse. Impium, inquis,
est cogitatu, à Deo malam esse creatam animam. At prædicebas,
non prius nos esse homines, quàm malos. Quid aliud id est, quàm
animam malam statim initio esse dicere? Corpus enim sexus-
ta anima, hominem te dicere non puto, cùm neq; corpus sinè
anima, neq; hoc separatim homo dici soleat. Sed longius pro-
gredior, quàm statueram, & malo te de hâc re dissentiem
audire, cùm ut innuis, hanc quæstionem accuratiùs pertexes.
Hoc unum addo, si ex Theologia etiam aliquid adferendum est,
dici posse, ne in statu quidem innocentiæ primos parentes no-
stros malorum appetitu caruisse. Quare non videtur, quod su-
prà dicebas, omnem appetitum per se bonum esse. Id autem even-
tq, proh dolor! comprobavit; Hinc etiam evinci quodammodo
queat, non in Originis labem conferendam esse causam, quod ad
mala proclives simus. Nam primi illi Parentes nostri, antequam
peccâssent, peccare potuerunt, & ad peccandum inclinationem
habuerunt. Innata igitur nobis hæc est propensio non ob pecca-
tum communicata. De perspicuis quid statuendum sit, ne
πανδικῶς quidem video. Nam alii affirmant, negant alii,
eorum usum esse futurum. Ex Deum te quid certi definias, cùm
nondum constet, quomodo visio fiat, receptione ne an ra-
diorum emissione? D. Doct. Zwingero, Clariss. Viro, cujus
ego sum

ego sum cupidissimus & studiosissimus, pl. sal: rescribe, rogo. Vale
& inepta garrulitati ignosce. Basileæ 29. Octobris 1581.

Ex: V.

Ex.mo V. Dño Doct. Nic: Taurello
Montbelyardens: Philos: et Medicinæ
Prof: in Acad: Altorfina p. Dño et
Amico honorando.

Integer Amicus
A Dudith.

Responsio Dudithii ad Christ. Herdesiani; quam vide in anno 1580. 157

Magnam capi voluptatem, Clariss. atq; Excell: vir, ex eleganti, docta ac pia epistola tua, ad quam patere rogo, ut aliqua adferam, dum respondeo, id ego non sanè contentionis ullo studio facio: quis n. ego sum, qui tecum contendam? aut quid omninò cõtendam cum eo, à quo non prorsus dissidet opinio mea? / sed ut tibi occasionem subministrem amplius in hanc quæstionem, quã de agis, inquirenti, ut si forte Helvetius hoc, quæ paucis persequar, porrò objiciat, quid vicissim opponi illi possit, ex te discam.

Respondi, inquis, videri mihi, posse accedere, si nihil aliud quam externa rituum & opinionum diversitas impediat.

Addis dein, nec opinor, quod in hoc genere quæstionis dissideamus. Vellem equidem, aut nulla esset dissidii hac in re inter nos causa, sed valde metuo, ne non sit nulla, quod tamen facilis tolletur, quam id, quod est inter Wolfium & Pseudo-patres illos Bergenses. Magna est exceptio, quam interponis, nam ritus quos & ceremonias, quæ verbo Dei repugnant, in Christiana doctrina benè instituta fugiendæ vident. At omni n. mali specie nobis abstinendum est, nihil addendum, nihil detrahendum Christi institutioni. Jam verò in hac Christi cœnæ representatione, quam multa sunt præter mandata & Christi ipsius exemplum? Altaria Judaica, mensis Christianorum sublatis, revocata sunt; picturæ statuæ & simulachra alia expresso Dei mandato severè vetita, vestitus Aaronici, candelæ, campanulæ, procumbitus in genua, confessus, absolutus, consecratis introducta est. Fractio panis usitata & porrectio abolita, crustulum orbiculare substitutum, quæ omnia aliena sunt & cum Christi instituto pugnant, atq;